Q. K. 349,3.

II f 103

# LAVDES COMPENDIARIÆ PHILOSOPHIÆ

*EX ECCL. XII. 11. 12.*

BREVI PRÆCEPTORVM PHILOSOPHICORVM COMPENDIO

*PVBLICIS LECTIONIBVS PHILOSOPHICIS TRADENDO*

PRÆMITTIT

JON. CONR. SCHRAMMIVS
TH. D. EJVSQ. ET PHIL.
PROF. PVBL.

*HELMSTADII*

LITTERIS HAMMIANIS.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

CONstitueram primo, Auditores Pereximii, de Interpretatione doctrinam publicis, quas Philosophiæ professio me jubet, vobis tradere lectionibus, prout etiam in Catalogo me sub initium hujus semestris indicasse, forsitan constat. Sed dandum aliquid est auditorio, ejusque numero sæpe rariori, at mihi tamen propter discendi cupiditatem ac studium attentum longe charissimo. Cumque hic exigat, tanquam sibi maxime proficua, *breviora per totam Philosophiam præcepta*, neque huic deesse mihi licet labori, satis quippe gnaro, quantum inde ad peritiam Philosophicam soleat accedere emolumenti, si uno quodam ordine & tanquam per compendium singulas ejus partes sæpe ad animum revocemus. Ac proinde, si locus esset, ad hanc methodum laudandam prolixioribus jam in limine uterer argumentis. Sed nolo vos istis fatigare, antequam ipsi Musas nostras salutetis. Interim vero sapientissimi Regis, Salomonis, in hanc rem verba citabo, quibus ille accuratam in scientiis brevitatem, & sententias doctorum concisas præstantissimum discentibus vult esse subsidium; & cum omnino digna sint, quæ a nobis expendantur, ecce illa, prout reperiuntur Ecclesiastis XII. 11. 12. דִּבְרֵי חֲכָמִים כְּדָרְבֹנוֹת וּכְמַשְׁמְרוֹת נְטוּעִים בַּעֲלֵי אֲסִפּוֹת נִתְּנוּ מֵרֹעֶה אֶחָד: וְיוֹתֵר מֵהֵמָּה בְּנִי הִזָּהֵר עֲשׂוֹת סְפָרִים הַרְבֵּה אֵין קֵץ וְלַהַג הַרְבֵּה יְגִעַת בָּשָׂר: Hæc Junius & Tremellius: *Verba Sapientum similia aculeis, & similia clavis infixis, lectissima, tradita à pastore eodem. Potius, inquam, ex istis, fili mi, admonitus esto: faciendi libros multos nullus finis,*

& *lectio multorum fatigationi carni.* Nos vero sic, paucis tantum mutatis: *Verba sapientum similia aculeis, & sicut clavi infixi, collectorum, tradita à magistro uno. Nimium autem in his, fili, caveto; faciendi libros multos nullus finis, & lectio nimia debilitat carnem.*

Tria sunt, ad quæ in his verbis respiciendum. Primo quinam sapientes illi sint, tum vero, in quo consistat efficacia illa verbis ipsorum adscripta, ac denique quos limites in eorum notatione observare conveniat. Sapientes explicat Aben Esra, per הקדמונים *veteres*, ut nos quoque in prisca antiquitate nucleum doctrinarum quærere solemus; ubi tamen veteres illi nobis sunt doctiores, qui rerum naturam & eventus inde a suis principiis deducere, & ad posteros propagare, conati. Raschi aliter: שעשו סייג לתורה בגזירה להרחיק את האדם מן העבירה: *Qui sepimentum legi attexuerunt, dum tradiderunt talia, quæ eo longius homines ab errore averterent.* De hoc *sepimento* Judæorum, quod legi sit instar προφυλακῆς, & præmunimenti, disputavit Frischmutus Jenæ MDCLXXIV. Et videtur quidem in hoc potiori loco stare, quæ facere, quam quæ scire oporteat. Verum cum lex tota hic intelligatur, atque in hac multa etiam sint, præcipue quæ causas singulorum præceptorum concernunt, omniumque horum originem, quæ nos in Philosophiam Theoreticam introducunt, non videntur hinc excludi, quæ vel veritatem divinam, vel pietatem nostram ab adversariorum insultu defendunt. Quæ est ipsa divinarum humanarumque rerum scientia, Philosophia, quam vel constitutionibus suis vel consiliis sapientiores quotidie in republ. exercent. Quod & inde patet, quod vel hodie Judæi Philosophos חכמי, & Philosophiam חכמה i. e. Sapientiam, ad exemplum Gentilium, vel Buxtorffio teste, appellare soleant;

leant; uti quoque olim חכימי בבל *Sapientes Babylonii* Dan. II. 12. Philosophi præstantiores erant Chaldæi.

Iidem sunt, qui paulò post vocantur h. l. Collectores, vel autores collectionum; & quidem ideo secundum Michl. Joph. ad h. l. רפי שאוספים רברי חכמות בספריהם: *Quoniam colligunt sententias celebriores Philosophicas in scriptis suis.* Chaldæus quidem hunc locum sic vertit: פתגמי חכימין מתילין לזקתין ולקרשונין דאנצין לאלפא חוכמתא לסריקי מנרעא היכמה דמאלף זיקת לתורתא ורבני סנדרין מרי הלכתין ומרשין דאתיהיבו על ידוי דמשה נביא דרעא בלחודוי ית עמא בית ישראל במרברא במנא וברגונין: *Verba sapientum paria sunt stimulis & furcis, quoniam stimulant ad discendum sapientiam, qui rudes sunt, ut quis ad obsequium legis promtus sit; primates autem Synedrii autores traditionum sunt, atque explicationum illarum, quæ traditæ sunt per Mosen Prophetam, cum ille pasceret solus populum Israeliticum in deserto, cibo dulci, & ad ipsorum desideria.* Unde apparet, quod membra synedrii magni, doctores Cabbalæ, & constitutionum extra sacras literas, potissimum iste intelligat. In quo quidem haud satis ad rem dicere videtur, cum & plures fuerint, præter hos, Philosophi præstantes. Judices autem istos, vel magistros, sapientum numero non potest eximere, id quod eorum sæpe testantur monumenta. Rectius Aben Esra: הם הלוקטים מספרים רבים ויחברו מחברות אף על פי שיחלקו: *Isti sunt, qui colligunt numeros infinitos, eosque inter se componunt additionibus, etiamsi vel maxime distent.* Sic ergo juxta tenorem vocis אספות, fuerint Mathematici, Analysin speciosam, aut calculum combinatorium exercentes. Est enim מחברת talis *combinatio*, cui opponitur מגרעת i. e. *Subtractio* vel *differentia.* Hinc ex comparatione eorum cum clavis infixis concludit: ואת תורת האדם, & *hæc ipsa lex ab hominibus*

*lata.* Ubi iterum notamus, quod veritatem ab hac lege non excludat Aben Esra. Nos ut verbo jam, qui utrique sint, exprimamus, sapientes Philosophos dicimus, quæstiones per sua argumenta & ad leges demonstrationum evolventes; collectores autem, qui sententias doctorum virorum magno studio collectas percensent, & suo quasque loco accommodant. Scholiastes Græc. ad h. l. συντάγματα vel συναθήματα vocat horum operas. LXX. συνθέματα. Magistros autem ipsos, vulgata. Forte ut Magister sententiarum, Lombardus. Quæ quiden ambo officia sunt Philosophorum, & si recte præstita sint, horum præstantiam arguunt.

Alterum igitur est, quod spectemus, in quo sita sit virtus illa, ex qua verba ipsorum Ecclesiastes commendat. Comparationem instituit pro more & stylo Orientalium, & ad emphasin rei eo melius exprimendam. Et per verba indicat *dicta breviora.* Paucis exprimere, quæ longiora sunt & sæpe infinita, artis est maximæ. Quare etiam Eccl. X. 14. *Stultus verba multiplicat;* inania scilicet, & quæ sine pondere & necessitate. Quæ causa itidem est, cur brevioribus sententiis mentem comprehenderunt vetustissimi Philosophorum, vel saltem cum loquendum esset, orationem fusam & evagantem studio evitarunt. Unde dicta veterum sapientum, carmina Phocylidis, & Apophthegmata plura. Ipse Salomon in præcedentibus testatur, sese per משלים sive *proverbia* locutum. Idque ideo, ut tædium legentium aut audientium repellerent, & contra animum ad hæc minuta eo fortius attraherent. Nam, ut vulgo dicimus, pluribus intentus minor est ad singula sensus. Et bene Lucretius, cum de Natura Rerum versus fundere inciperet:

*Sed*

*Sed veluti pueris absinthia tetra medentes*
*Cum dare conantur, prius oras pocula circum*
*Contingunt mellis dulci flavoque liquore. —*
*Sic ego nunc.*

Igitur & ista meditationibus ideo offert Salomo, quod sint stimulis æqua, ac furcis tridentibus, aut clavis infixis. Raschi: כמה דרכן זה מכוון את הפרה לתלמיה כך דבריהם מכוונים את האדם לדרכי חיים: *Quid stimulus? nempe qui vaccam arantem intra sulcos dirigit & compellit; sic quoque verba illorum mentem hominum viæ salutis reddunt attentam.* Item: מה מסמר זה קבוע אף דבריהם קבועים ומה נטוע פרה ורבה אף דבריהם פרים ורבים למצוא בהם טעם: *Quid clavus? quem infigimus; sic & dicta eorum fixa hærent. Cur vero hic est vocabulum* נטוע *in textu, quod alias de plantis terræ insertis usurpatur? scilicet quia crescit planta & multiplicatur. Qua ratione etiam dicta ipsorum* (ultro citroque nempe animo agitata,) *incrementum sumunt atque augentur, ut plenum denique in his sensum reperias.* Quo tendit Aquila, cum נטועים effert per πεφυτευμένας, *plantatos*; nimirum prout arbores proceræ supra densæ latæque, infra altissimas egerunt radices. Nec tamen assentiri possumus interpreti ab ipso citato, qui clavos cum collectoribus per appositionem conjungit, quasi ipsi in vertice, sive dicere malis cranio vel cerebro, collectum quid aut nodosum habeant. בעלי אסופ' מסמרי שיש להם גולגולת אסופה וגסה גרוסה בלע"ז כן דונש בן לברט: *Collectores ipsi clavi sunt, quorum in vertice protuberantia quædam ac densitas comparet, in vernacula* Grosse *dicere solemus; quemadmodum est apud Duns filium Liberati.* Rectius Aben Esra propter Ellipsin iterum subintelligendum putat דברי *verba*, quæ antea quoque dicebantur sapientum. Quam in rem commentatur: אומרים וכמסמרות נטועים דברי בעלי אסופות: *Sunt, qui sic explicant:*

*cant: Et ſicuti clavi infixi ſunt, ſic quoque verba collectorum.* Rationem enim ſimilitudinis non tam in eo conſpicimus, quod in capite corona quædam aut prominentia ſit, quam quod cuneorum inſtar à cuſpide ad faſtigium usque denſiores procedant, quo demum incuſſi hæreant firmius, nec facile poſſint evelli; tum & quod fortiſſimo nexu aſſeres, per quos figuntur, conjungant. Id quod ad hæc notat idem Aben Eſra: יש בדברי הקדמונים דברים שהם כדרבנות לבהמה המסרים ומפקחים הנפש ויש כמסמרות נטועים הנדולים שיאכפו הדלתות שלא יתפרדו: *Eſt in ſententiis antiquorum aliquid, quod inſtar ſtimulorum eſt, quibus pungimus beſtias, utpote quo pariter tangitur & ſtimulatur mens hominis; atque idem eſt ſimile etiam paxillis impreſſis ingentibus, quibus valvas compingimus, ne diſſiliant invicem.* Horatius adamantinos clavos vocat, propter duritiem, qui & trabales, propter magnitudinem. Autor Michlal Jophi ad h. l. *acubus* comparat propter acrimoniam. Omnes vero in eo conveniunt, quod & veritatem & juſtitiam in compendio exprimant Philoſophi meliores, ac propterea digna ſemper ſint verba ipſorum, quæ conſiderentur non modo, ſed & memoriæ imprimantur, ut cunei lignis infligi ſolent; hinc & repetantur ſingulis, cum fieri poteſt, momentis, ut vis eorum ac nexus firmo ſtent robore, & maturiori accedente judicio, magis magisque innoteſcant. A quo abſint valde, quibus ſordent veterum effata, quaſi obſcuriora ſint, aut & triviis petita, nec ad ſeculi genium; quippe qui nec ad veriorem horum ſenſum unquam perveniant, neque adeo disjectas hinc inde cogitationes ſuas cum iisdem poſſint comparare.

Idque ſane, ſive admonitionem contineant, ſive definitionem aliquam, huic origini tribuendum fuerit, quod ab eodem magiſtro procedant ſingula. Paſtorem unum appellat

pellat Salomo. Raschi: כל דבריהם דברי אלהים חיים הוא אמרן ורועה אחד נתנן משה מפי הגבורה: *Dicta eorum omnia sunt Dei vivi, qui pronunciavit ea, unus vero tradidit pastor, Moses, ex ore quasi divinæ omnipotentiæ.* Sequitur hic more suo vestigia Chaldæi, cujus versionem paulo ante allegavimus. Uterque autem deceptus est, sive quod nimium tribuerint traditionibus suis in literas, ut putant, nunquam relatis, & à solo Mose intolerabili quadam superstitione derivandis, sive quod vocem רועה Pastoris in Mosen optime quadrare, existimaverint. At male. Nam & suspectæ fidei sunt illæ; ut Simonville in Comparat. Rit. Jud. & Christ. cap. I. *Il ne faut pas tous jours ajouter foy à ce grand axiome des Juifs: Halacha le Mosce mi Sinai; C'est une decision, que Moyse a receue sur la montagne Sinai: non plus, qu'a cet autre principe de nos Theologiens: cela est de Tradition Apostolique; puis qu'il est certain, que l'un e l'autre ne sont pas infallibles, e que des les premiers siecles du Christianisme, il s'est trouvé de sçavans hommes, qui ont donné le nom de Tradition Apostolique à des sentiments, qui leur estoient singuliers, e qui n'estoient pas mesme orthodoxes. Non magis credendum est Judæis, TRADITIONES MOSAICAS, quam Theologis nostratibus, APOSTOLICAS jactantibus; siquidem extra dubium, ejusdem has esse autoritatis, ac nomen hoc saltem à viris doctis impositum fuisse singularibus quibusdam opinionibus, quæ nec Orthodoxæ quidem erant.* Et si vel maxime genuinæ fuerint, non omnia tamen dicta sapientum quæ quidem celebriora sint, complectuntur, quæ hoc loco vult Salomon. Tum vero nec vim vocis רעה satis penetrasse videtur. Rectius quidem Aben Esra: בלם לימרם בורא אחד: *Omnia illa docuit unus idemque rerum conditor.* Sed addit: ומלת רועה בעבור שדומה האדם לבהמה הצריכה לרבנות: *Vocatur ille pastor, quia bestiis similis est homo, quæ stimulis indigent.*

In quo ab eo nunc abeundum ducimus, & potius verbum hoc explicandum esse ex eo significatu, quo occurrit Prov. XIII. 20. ורעה כסילים *consocians se stultis*, aut Job. XXIV. 21. רועה עקרה *qui consociat sterilem*; ut sit idem hoc loco ac magister quidam, qui cœtum convocat, quem instituat ipse, cuique præsideat, & ipse adeo suorum, ut eo melius cohæreant, sit dogmatum interpres. Quo pacto quidem creator optimus & naturæ lumine, & voluntatis suæ speciali revelatione expolit quasi & acuit homines, eo studium suum conferentes, ut ex his indiciis ipsum agnoscant, tanquam ex stylo, doctorem suum, ac laudibus efferant. Videtur vero & hoc insigne ad eruditionem adjumentum simul comprehendere his verbis Salomon, ut ab uno præceptore primum proficiant, cujus præcepta ac methodum uno quodam tenore sequantur, nec ad quosvis desiliant, eosque toto cœlo sæpe diversos, qui discere incipiunt.

Quæ vero supra hæc sunt, evitare jubet. Unde ad rem vulgatus: *His amplius, fili mi, ne requiras.* Raschi: יותר מיושר דברי אמת: *Id quod supra rectitudinem illam veritatis est*; de qua antea dixerat. Nam versu 10. testatur, se quæsivisse רבר חפץ וכתוב יושר דברי אמת: *quicquid ad usum, & recte de veritate consignatum esset, verbisque selectis expressum.* Sic enim Vulgatus: רבר חפץ *verba utilia.* Aquila: χρείας. Reliqua ad verbum: *Scriptura recta dictorum veritatis.* Quæ sunt illa monumenta sapientum. Quæ superflua in his sunt, aut contraria, æquo animo vult contemni. Relinquimus hic Aben Esram, ad hæc ita commentantem: הזהר מעשות ספרים כמו השמרו לכם עלות בהר וענין עשות קנות או כתיבה כי אין קץ להם: *Caveas ergo tibi facere, i. e. ne facias libros; prout dicitur:* (Exod. XIX. 12.) *Cavete vobis ascendere i. e. ne ascendatis in montem; & sic verbum,* עשה *facere, idem signifi-*

*significare poterit, quam acquirere, vel componere; nam finis eorum non est.* Cum quo etiam sentire videtur Chaldæus: ויתיר מנהון בני אזדהר למעבד ספרי הוכמת ולמעסק בפתגמי אוריתא ולאסתכלא בליאות בשרא: *Nimium in his vita, fili, sive cum scribendi sint libri, sive cum in lege divina versandum sit, sive denique cum caro fatiganda sit contemplationibus.* Quanquam vero modum vel in scribendis vel in comparandis libris facile excedere liceat, idque etiam vetet Salomo, quando intra limites studiorum humanitatis atque ordinem cogit lectores; quoniam tamen considerationem dictorum præcipuorum, aut quæ de rebus necessariis editæ sunt, sententiarum breviorum antea commendavit, eandem iterum propositam habet, cui modum figat, quamque a promiscua curiositate distinguat. Nec enim concedendum est appetitui nostro id omne, in quod fertur, sed refrænandus ille fuerit, sive ab ipsâ mente proficiscatur, sive etiam aliquid ab affectione corporeâ secum trahat. Quæ causa est, cur periculum cum animo tum corpori inde metuendum notetur. Illud quidem è librorum multitudine infinitâ, hoc ex insuperabili labore. Nam cum copia illorum ingens & utilia multa & pernicioſa veritati pariter ac honestati comprehendat, quam quidem utramque finem omnis sapientiæ statuerat, quæ è posteriori genere sunt, negligenda omninò, nemo facile negabit. Accedit, quod quædam etiam vel boni nihil vel mali doceant, unde nec his convenit horas perdere, quas longè melioribus dicare licet. Veteres Judæi eò referebant חיצונים Libros externos, seu extrà oleas vagantes, de quibus in Disp. nostrâ, de Indicibus Librorum prohibitorum. Quæ verò commoda hinc aut incommoda resultent, pluribus monstravit Saldenus de Usu & Abusu Librorum, Bartholinus in Dissertationibus de libris legendis, quibus præfatio-

fationem addidit Meuschenius de Vanâ Librorum Pompâ, & qui nuper Lipsiæ M D CC XI. iterum propter doctrinam & elegantiam recusus est, Italus, Franciscus Sacchini S. J. de Ratione Libros cum judicio legendi, cum oratione, de vitandâ Librorum moribus noxiorum lectione. Adde Indices Librorum Expurgandorum & Prohibitorum. Raschi connectit hanc multitudinem librorum cum objectione, quam quis fecerit contrà dicta sapientum, quæ applicaverat ante de תורה שבעל פה, *Lege non scriptâ*, hoc modo: אם תאמר אם יש בהם צורך למח לא נכתבו עשות וגו׳: *Si quæsieris, quare, si tantæ illæ necessitatis sint, in literas non retulerint majores nostri*; (respondet:) *libri jam tum infiniti.* אם באנו לכתוב לא הספקנו: *Quod si vel singulos describere velimus, utique succumbendum nobis fuerit.* Propius igitur ille scopum collimat. Sed quod ante monuimus; non Judæos solùm putat Salomon, sed & gentiles, & quotquot unquam scripserunt, quod lectione dignum, & in quibus sicco pede prætereas, quæ abundant. Figmentum etiam sunt traditiones illæ, & rectius facient Judæi, si dixerint has esse doctorum suorum, verisque sic vindicaverint autoribus. Tum enim majorem fidem forsitan habebunt.

Sed & alterum obstat exorbitantiæ, fatigatio nimia. Quid להג sit, explicat R. Sal. Ben. Mel. in Michl. Joph. ענינו למור מאין הבנה: *significat, si quis didicerit, quæ non intelligit.* Sic & Kimchi in Libr. Radic. Aben Esra: ואין לא רומה בלשון ישמעאל הוא כמו קריאה: *Vox semel tantum occurrit in sacris literis. Apud Arabes vero designat lectionem.* Raschi hanc significationem planiorem reddit: אם לתת לב לגירסא חבילות יותר ממה שאין הלב משיג יגיעה היא לבריות שאין להשיג: *Si quis eo contendat, ut grandiora quæque volumina perlegat, nec tamen mente hæc assequatur, vires hoc est perdere, quæ supra*

captum

*captum sint.* LXX. μελέτην vertunt, i. e. *curam & anxietatem.* Facillime omnium derivatur ex usurpatione apud Arabes, ubi لهج est *valde avidum esse vel addictum, ut sunt pulli, uberibus matris inhiantes.* Hinc altera significatio لهوج ܠܗܘܓ *miscuit, non recte tractavit, non probe coxit carnem assando.* Denotat quoque لهجة *linguam.* Hinc فصيح اللهجة *Facundus lingua;* ex quo Lutheri versio defendi potest: viel Predigen macht den Leib müde. Igitur non habita virium aut valetudinis ratione in studia incumbere, & quæcunque obviam veniant, sive usui sint sive minus, sive statui cujusque & ingenio æqua sint, sive detrimento, legere, pensitare, rimari, diemque sic consumere, etiamsi nullum deinceps in animo conceptum, nullamque certitudinem gignant, id quidem sibi ipsi & aliis est summopere nocere, & intemperantiæ in studiis, de qua celeberr. Wedelius, & quondam Morhofius, edere documentum. Cui certe vitio occurremus, si juxta monitum Salomonis dicta potius doctiorum sæpe meditemur, quam cupiditati inordinatæ, & quæ sæpe fit meræ ostentationis gratia, indulgeamus. Præcipue cum hæc familiaris esse soleat ad studia primum provolantibus, nec satis expolitis. Unde si deinceps virium emergat attenuatio, ab Autocheiria subtili haud procul absunt, istam sequentes consuetudinem, quam immoderatæ cuidam libidini, non diligentiæ adscribant. Equidem *sanitatem quoque nostram in gloriam Dei, salutem Eccclesiæ, defensionem religionis, laborando, vigilando, sedendo, scribendo devovere possumus. Quod si enim manifestissimo vitæ periculo, quin & morti corpus interdum objicere licet, quidni hoc ipsum valeat indirecte per vigilias atque sudorem? Conf. Pufend. de J. N. & G. Lib. II c. 4. §. 14.* Röhrens. in Disp. de Autoch. Subtil. At videndum quoque est, ne vanæ sint istæ vigiliæ nostræ, & ne plus quam ferre ætas, aut ingenium,

 aut

aut ipsa quoque corporis aut nervorum temperies possit, in nos suscipiamus; aut vero quæ inordinato vitæ genere commissa est, & quam diu forte morbidum corpus in se attraxit, culpam in studia nimia conjiciamus. Habent id etiam eruditi peculiare, ut sciant, quo pacto felicius & animo laboranti & corpori occurrendum sit. Et proinde quadrat ad hoc dictum Salomonis, quæ in Talmude extat Cod. Schabb. cap. I. fol. 13. a. historia: תנא רבי אליהו מעשה בתלמיד אחד ששנה הרבה וקרא הרבה ושמש וחכמים הרבה ומת בחצי ימיו והיתה אשתו נוטלת תפיליו ומחזרתה בבתי מדרשות ואמר להם כתיב בתורה כי היא חייך ואורך ימיך בעלי ששנה הרבה וקרא הרבה ושמש תלמידי חכמים הרבה מפני מת בחצי ימיו ולא היה אדם מחזירה דבר פעם אחת נתארחתי אצלה והיתה מסיחה כל אותו מאורע ואמרתי לה בתי בימי נדותך מה הוא אצלך אמרה לי חס ושלום אפילו באצבע קטנה לא נגע בימי לבונך מהן אצלך אכל עמי ושתת עמי וישן עמי בקירוב בשר ולא עלתה עלדבר אחר ואמרתי לה ברוך המקום שהרגו שלא נשא פנים לתירה כי אמרה תורה ואל אשה בנדת טומאתה לא תקרב: *Exemplum recenset Rabbi Eliahu, de viro quodam docto, quem sedulum admodum conspexerant in evolvendis legibus Talmudicis, & explicanda scriptura sacra, quique etiam multis doctioribus hinc inservierat, at mortuus tamen est in media sua ætate. Sumsit igitur uxor illius Tephillim,* (vasa illa, quibus inter res sacras usus fuerat) *cumque adduxisset in cœtus studiosorum publicos, en! inquiebat, scriptum est in lege:* (Deut. XXX. 20.) *hæc vita tua erit, & longitudo dierum tuorum; at vero maritus ille meus, qui & in Talmudicis, & in sacro codice versatissimus fuit, pluresque edocuit discipulos in sapientiæ studia incumbentes, cur tam cito & in media ætate sublatus est? Ubi quidem nemo fuit, qui quicquam ad hæc ipsi responderet. Sed accidit, ut aliquando una iter faceremus, mihique totum illum casum ipsa narraret. Quæsivi igitur: Filia mea, tempore impuritatis tuæ, quid ille tecum? respondebat: absit,*

*sit, ut vel digito me contigerit.* (Pergebam:) *Tempore albationis tuæ,* (i. e. per septem illos dies, quibus cessante vix illa impuritate tua, à fluxu menstruo te purgabas, & lintea iterum alba induebas,) *quid tecum idem? Ehodum!* (respondebat:) *una comedimus, una bibimus, una dormivimus, imo & debitum conjugale nobis solvimus invicem. Nec alia magis de causa laudabat. Tunc ego: Benedictus ergo sit Deus T. O. M. qui eum sustulit, quippe qui non majorem rationem habuit legis; quæ jubet:* (Levit. XVIII. 19.) *Ad uxorem tuam ne quidem in separatione post immunditiem accedes.* Sed jam de his satis; nos rursus ad scopum.

Disseruimus de laudibus philosophiæ compendiariæ ex Salomone. Nunc forte ejusdem methodum quoque à me desideratis, Commilitones dilecti; neque ego aliam vobis præire potero, quam tot seculorum spatiis per Ecclesiam Christianam approbatam, utut nec ab omnibus æque intellecta fuerit, Peripateticam. Prolegomena hæc exigit, exigit præcepta demonstrandi, hinc partes doctrinæ theoreticæ duas, totidemque practicas, quibus Philosophiam nostram absolvere solemus. Qualis in his omnibus autor Peripateticorum fuerit, Aristoteles, alii dudum demonstrarunt. Videbitis in hoc gravitatem sententiarum summam, & quæ juxta Ciceronem, caput sit totius prudentiæ humanæ; ita ut nihil in ea prætermissum, nil redundans, nil alieno loco positum, nil perperam immutatum. Videbitis quot verba, aut quot placita hic adsunt, tot quoque stimulos, qui principiorum sint instar in singulis pene artibus, quibus ad meditandum excitemur; ita ut cum Aphorismis Hippocratis comparaverint merito & memoriæ mandaverint eruditi, quos textus vocare Latini solent. Hæc ante illum, cum Dialectica solummodo viderentur, & vera demonstrandi arte privata,

vix

QK II 7 103 x 333 1428

vix dubitationis loco poterant afferri. Quæ methodus Platonica erat, per ſolas procedens diviſiones, inconſtans, incerta, & in infinitum protenſa, nec quicquam perpetua ſerie docebat diſputare; ne dicamus myſticam, Pythagoricam, & ad ſuas triadas βιαιώτερον revocatam. Sed longe accuratiora erant Ariſtotelis præcepta Logica, imprimis Analytica illa, quibus veterum dicta de veritate, ſingulari ſtudio collecta, ſub cenſuram revocabat. Brevia erant, &, quod ipſe Proclus in eorum laudem vertit, talia, quæ ob facilitatem ab homine non hebeti ſaltem, tardoque ingenio, haud ægre percipi potuerint. Porro quid in Metaphyſicis ejus inutile, aut veritati contrarium à peritis potuit expungi? Quidque in Phyſicis, quæ tanto cum labore ad formam ſcientiæ reduxit, ut Epicurus Pharmacopolam, propter exactiſſimam in animalibus etiam rerum minimarum perſcrutationem, inique appellaret. Stoici tardos dicant in diſſerendo, cum ad res agendas deveniunt, Peripateticos. Quid enim magis vitandum eſt, aut quid difficilius cum illa rerum certitudine, quam etiam in actionibus hominum quærere licet, conciliaveris, quam ſpinoſa è porticu Zenonis argumenta? Conf. Nunnes. de Vit. Ariſt. §. LXVI. Hæc ergo ſingula attigit Ariſtoteles, illuſtrarunt commentatores, non oſtentationis gratia, ſed ut hac veritate breviter ducerent lectores. Quorum ſpiſſa extant in hanc rem volumina, quorum ſæpe vel ſola perluſtratione ingenium obtundere, & vigorem corporis delaſſare queas, non curamus magnopere, nedum ut initiandis commendemus. Quin ego operam eo navabo, ut antequam curſu hoc conficiatis ſemeſtre, *curſum* ſimul *Philoſophiæ via compendiaria* abſolvatis. Quem in finem dictabo nihil, ſed ut comparetis Philoſophiam ven. Dn. Schmidii, qua memoriæ interim ac repetitioni ſuccurratis, autor ſum.

Initium fiet proximo die Mercurii, hora antem. IIX. in Auditorio domeſtico. Valete, Auditores, & favete. Scrib. in Ac. Jul. d. Maji MDCCXIII.

VD18

II f 103

# LAVDES
# PENDIARIÆ
# ILOSOPHIÆ

X ECCL. XII. 11. 12.

ECEPTORVM PHILOSOPHI-
RVM COMPENDIO
LECTIONIBVS PHILOSOPHICIS
TRADENDO
PRÆMITTIT

ONR. SCHRAMMIVS
D. EJVSQ. ET PHIL.
PROF. PVBL.

HELMSTADII
TERIS HAMMIANIS.

BIBLIOTHECA
ONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres